

Violentiarum et Occupationum quae ab Anno 1592. patratae sunt; quae nam manere et quae non debeant?

A r t i c u l u s 3.

§. 2. Et quae bona, seu Jura possessionaria, post executionem Comitum, vel Vice-Comitum, nec non Regiorum et Capitularium, Conventualiumque hominum, per quoscumque occupata, seu reoccupata fuerunt, vel imposterum occupabuntur, seu reoccupabuntur; talia bona, seu Jura possessionaria, illis a quibus occupata, seu reoccupata sunt, per Dominos Comites, seu Vice-Comites, sub ammissione Officiorum; vel illis insufficientibus, aut nolentibus per Dominum Palatinum; in superiori Ungaria per Supremum Cassoviensem Capitaneum; et in Sclavonia per Dominum Banum; statim et de facto restituantur; Non obstantibus annualibus revolutionibus.

Qualiter ratione quarumlibet violentiarum, praebabita legitima certificatione, ad partis querulantis instantiam, in Comitatibus procedatur?

A r t i c u l u s 4.

Deinceps autem, si de et super occupationibus et reoccupationibus, nec non aliis violentiis, captivationibus, verberationibus et rerum mobilium, aliorumque Jurium et Castrorum, sub quovis praetextu, per quosvis occupatorum et ablatorum, ab Anno praedicto 1592. hucusque factis, vel fiendis, causae aliquae per quoscumque movebuntur; illae etiam, eodem brevi processu inchoentur, prosequanturque et terminentur; non obstantibus annualis revolutionis praeensionibus:

§. 1. Nimirum ut ad partis querulantis instantiam, Vice-Comes cujuslibet Comitatus, praehabita legitima certificatione, ex Sede Judiciaria, vel Congregatione Comitatus, imo etiam de domo habitationis suae fienda, ad faciem bonorum occupatorum, observata quindena, exire ibique comperta rei veritate, Judicium facere; ac partem convictam, in poena violentiae, refusioneque damnorum convincere et aggravare; Partiumque aliqua Judicio Vice-Comitis non contenta, causam eandem pro saniori ejus discussione ad Sedem Judiciariam; vel ea non existente, ad Congregationem Comitatus primitus celebrandam referre; ibique per Judices Nobilium et Juratos, facta ejusdem causae approbatione aut reprobatione, idem Vice-Comes statim omnibus juridicis remediis abscissis, ad ejusdem causae executionem et satisfactionem iterum exire; eoque ad executionem non sufficiente, Supremus Comes, per Comitatum requisitus, si necesse fuerit, etiam levatis Comitatuum gentibus; et eo etiam non sufficiente, vel executionem facere nolente Regni Palatinus; in Superiori Ungaria Supremus Cassoviensis Capitaneus; in Sclavonia autem Banus; toties, quoties opus fuerit, executionem peragere et ad effectum deducere sint obligati.

Qualiter Valachorum habitatio limitanda?

A r t i c u l u s 9.

Renovatur hoc loco Artic. 14. Anni 1604. de militibus Confiniaris et Valachis in Ungaria, Sclavonia et Croatia, in bonis Dominorum Praelatorum, Magnatum